ORATIO
ANNIBALIS DE CAPVA
ARCHIEPISCOPI NEAPOLITANI
SANCTISSIMI D. SIXTI V.

Summi Pont. Nuntii

Habita ad Illuſtriſſimum Senatum Regni Poloniæ, & magni Ducatus Lithuaniæ pro noua Regis electione.

SVPERIORVM PERMISSV.



ROMAE,
Apud Titum, & Paulum Dianos fratres. 1587.

Et denuo' Impreſſ. Neapoli Apud Heredes Matthię Cancer.
M. D. LXXXVIII.

AD STEPHANVM Sereniſſimum Regē veſtrum, cuius memoria in perpetuis benedictionibus erit, mandato Sanctiſſimi Sixti V. Summi Pontificis allegabar, Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Antiſtetes, Illuſtriſſimiq; Principes, ac Magnifici Proceres, vt quod dudum ſummopere optaueram de hoc florentiſſimo Regno mea qualicūque opera, ſed in primis Sanctitatis Suæ, ac Sanctæ Sedis Apoſtolicæ authoritate optimè mererer, atque Petri Diaconi Cardinalis cognomento Capuani, gentilis mei, ſub Celeſtino III. ſummo Pontifice, Legati, veterum officiorū erga ampliſſimam Rempub. veſtram memoriam renouarem, cum ad Germaniæ fines perueniēti nuncius occurrit triſtiſſimus orbatæ tanto Rege Reip. Quare, præcurrēte deſiderio ſubſiſtendum tamen mihi fuit tantiſper, dum noua à Sanctitate Sua mandata ſuſciperē, quæ, vt iter proſequerer, imperauit, meque vobis, Clariſſimi viri, ſiſterem, atq; ſignificarem, non tam æqua mente Sanct. ſuam Sereniſſimi Regis Stephani mortem vti communem iacturam ſuſtinere potuiſſe, quin ſuum dolorem dolori veſtro coniungeret, ac paternam qua omnes complectitur Eccleſiæ filios, ſed maximè hoc Regnum, quod ſemper propugnaculum habitum eſt Chriſtianæ reip. nunc capite ſuo deſtitutum, ſolicitudinem, curamque declaret. Noui, quem hucuſque ducem, patriæque propugnatorem ſecuti eſtis; nec eam latere potuit, quid nobiliſſimo regno optimi Regis obitu deceſſerit, Quamobrem tanti & tam chariſſimi filij mortem egregie de Dei Eccleſia meriti, & huius nobiliſſimæ reipu. detrimentum quàm maximè dolet ſummus Pontifex, ac de vrbis, & ipſius regni ſalute in Chriſto Domino ſolicitus vehementer, hanc animi ſui propenſionem, & curam ſuis literis, vt audiſtis, & per me ipſum apud vos omnes voluit eſſe teſtatam. Verùm ſatis Princeps ille clariſſimus, & omni dignus immortalitate & gloriæ, & patriæ vixit, qui conditionem, quam à vobis delatam liberaliter accepit, ſtatu reddit meliore. Erit alius, qui maiori ſtudio Res ipſius auſpicio præclare geſtas, et erga ſanctam Sedem Apoſtolicam, more maiorum obſeruantiam, Chriſtianamque pietatē tranſmittet ad poſteros. Nunc de nouo Rege deligendo conſultatio futura eſt. Hanc vobis facultatem, Illuſtriſs. viri ſingulariter tribuit omnipotens Deus vt Regem, nō quem caſus hæreditario iure præſcriptum dederit, habeatis, ſed quem vos ipſi communi iudicio elegeritis. Data igitur à Deo facultate, Deo authore vtamini: & primum à diuina benignitate, quæ dat omnibus affluenter, auxilium, & conſilium in re

tam

tā graui ſupplicationibus, precibusq. poſtulandū erit, deinde verò ex animis veſtris ponus; & legibus veſtris, quibus tantum Imperium ſtetit, ac ſtabit, aſpirante Deo, ſemper incolume, totum hoc quidquid conſilij, ac prudentiæ neceſſarium fuerit, depromendum, ſic vt neque mentes varijs affectibus diſtractæ, longius quàm conueniat, Regis electionē protrahant; neque vlla rerum humanarū ratio, aut ſpecies vtilitatis aliqua vtiliſſimum remedium conſeruandæ reip. reddat inutile. Audite diuinum oraculum à ſapientiſſimo Salomone prolatum: Scitote, inquit qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes veſtras ſcrutabitur; Et cū ſitis miniſtri regnorū, rectè iudicate, cuſtodite leges iuſtitiæ, ſecūdū voluntatem Dei ambulate. Ad quod, vt videor mihi mentes veſtras omnium collimantes intueri; ita eſt vnde ſperet Sixtus V. Pontifex Maximus, cumq; eo eminentiora Chriſtiani orbis membra fore, & potisſimam religionis rationē habeatis. Qua vna religione illigari regna, atque arctisſimè quaſi vitam in ſe retinere, nemo eſt, quin etiam tacens ſentiat, ac ſibi ipſi confiteatur. Nam propter quam quod illud eſt ſatis animis inditum veſtris quod Natura duce nullæ gentes ignorarunt: reſpublicas quibus initijs iactæ, ac fundatæ ſint, ijſdem conſeruari, ac tanquam repetitis, ijſdem artibus tectas ſartas teneri. Certe orbis ipſius, atq; huius ſeculi calamitates, quæ ex diſſidijs ob varias religionis ſpecies extiterunt, ſatis vnicuique aperuere oculos, & loquuntur ad cor. Eſt namq; religio vel potentisſima iuſtitiæ pars, Hæc non Principum modo cum Principibus, Regū cum ſubiectis populis, ac omnium hominum cum hominibus, ſed cum Deo quoque, & cælitibus ipſis mortalium ſocietatem tuetur: reliquas omnes in ſe continet virtutes, & earum quaſi ſurculos quoſdam emittit: hæc ſola mortalium perficit felicitates, hac vna ſublata, reliquæ virtutes imagines, ac umbræ virtutum potius appellandæ ſunt, quam virtutes, nec omnino ſine hac laudabiliter, & beatè, quāuis rebus ad voluntatem noſtrā fluentibus, vitā traducere poſſumus, Quoniam verò hæc, de qua loquimur, Sancta, atque incorrupta religio non niſi vna eſſe poteſt: vnus enim Deus, vna omnium ad ſalutem Regeneratio, vna etiam Fides, is à uobis Rex, qui hanc vnitatem, et maximè vnam, eandemque religionis rationem conſtantisſimè tueatur, primo quoque tempore in demortui locum ſufficiendus erit, in eum, inquam, qui pietate in Deum omnibus antecellat, quemque virū ſecundū cor optimi, ac maximi Numinis, dicere posſitis, ſua quiſque ſtudia conferat: tum enim Regno potentisſimum robur, vobis autem ſummam laudem adiunge-

tis. Taceo commoda periculorum, ac ſumptuum declinationem, fortunarum amplificationem, & id, quod caput eſt, ſpem æternæ ſalutis, quæ hinc conſequetur. Nutante enim in fide Rege, quomodo non nutaret Regnum? aut qui fieri poſſet, vt certo, & firma valetudine corporis vteretur, cui caput præeſſet inualidum, atque graui, & difficillimo morbo debilitatum? Nemo enim ambigit, Patres ampliſſimi, Rempublicam omnem vnum quaſi corpus conficere, & in eo Regem caput eſſe, membra vero optimates, populares, ac plebeios homines ſubditos imperata ab illis accipere. Vnde ſicut in corpore humano optimum temperamentum, & membri cuiuſque conſeruata functio bene illud affectum eſſe indicat: contra vero ſi aliquod membrum præcipuè ex ijs quæ principem locum obtinent, languidum ſit, vel munus ſuum non recte exequatur, indicat corpus illud, aut iam languore aliquo contaminatum, aut proximè interiturum, eòque celerius, quo longius à proprio temperamento diſcedit: ſic in corpore Reipublicæ ſi Princeps, qui caput eſt, aliquo inſigni vitio laboret, vita eius aliorum peſtis exiſtit; ad illam enim dirigimur, ad illam oculos noſtros intendimus, illius facta, & dicta, & pronunciata contemplamur, mores etiam plerumque ſtudiosè imitamur. Nulla enim edicta, nullum Imperium ad ſenſus hominum inflectendos tantum valent, quantum ipſius Regentis vita: mortalium namque animos cum Principe ſuo mutari ſæpe videmus. Quapropter fortiſſimi Proceres in veſtro Rege renunciando illud potiſſimum vobis ob mentis oculos proponere debetis, nimirum, vt ſit illius genus ex inclytis Principibus, & regia ſobole fœcundum, quique ab ineunte infantia, atque ab ipſis incunabuli cum materno lacte Sacroſanctæ Catholicæ religionis doctrinam penitus imbiberit, atque hauſerit, ſitque ad moderandos animi impetus ab ipſa adoleſcentia aſſuetus. Permagni enim intereſt, quibus in rebus, quasuè inter actiones quis à pueritia verſatus ſit. Vos enim nequaquam latet, quanti referat ad hominis vitam hoc, vel illo modo inſtitui, qua ratione quis a prima ætate fuerit educatus & inſtitutus. Nam vti bonæ, & generoſæ proles ſolent optimis, & generoſis parentibus reſpondere, ita is, qui inter deprauatos mores eſt enutriendus, ſeu Barbarica ſtirpe genitus, vix fieri poteſt, vt ad paruæ familiæ gubernationem, nedum ad Regni huius florentisſimi gubernacula tenenda recto, ac integro animi ſenſu poſſit accedere. Non deſunt domeſtica, Senatores prudentiſſimi, atq; etiam exterorum exempla, quibus clariſſimè probare poſſem, quantum attulerit emolumenti ad Regnorum fines propagandos, Imperij vires confirmandas, rerũ publicarum opes corroborandas, ſapientisſimorum Regum iuſtum, ac veluti ad normã adminiſtrationis munus expletũ. Et vt Spartam, Athenas, Corinthum, Carthaginem,

Romam

Romam deniq; ipſam omittam quæ olim, vt ſcitis, ſuo ſibei iumento, & bona. vt aiunt & mala inuexerunt. Reſpiciamus prætetitorum Regum exempla qui du vobis ſcitiſſime præfuere. En iubar ille Clariſſimus Boleslaus primus Miecislai filius: is non inter ſordes, ac Barbarorũ greges enutritus, non inter luxus, impuros, ac nefarios homines educatus, ſed in aula illa auguſtiſſima, Miecislai parẽtis ſui, inter inſignes. et bellica virtute, & pietate viros à teneris annis verſatus, in Regẽ deinde aſcitus, ſumma omnium ordinum voluntate, ac plauſu. & finitimis, & remotis gentibus Polonorũ nomen formidoloſum reddidit: Regni terminos non tã armis, quàm religione, ac diuinarũ legum obſeruantia propagauit, pietatem, continentiã, temperãtiã, ius æquũ erga oẽs ſanctiſſimè coluit, Baſilicas multas extruxit, ſummis, infimis carus, atque amabilis ſemper fuit, quem e viuis ſublatum publicè per anñũ matronæ omnes, atque puellæ luxerunt. Quid de Cazimirio eius nepote dicam? aut quid commemorem prius? Quam integritatis cultor? quàm pietatis amans. Quàm diligens ſacrorũ author, propagator, propugnator ad extremum vſque ſpiritum extiterit, & illius commemoranda facinora, res præclare geſtæ, & antiquiſſima huius regni publica monumenta apertius quàm vt à me proferri poſſent, teſtantur. Sed vt Pictor, cui in exigua tabula ingens aliqua hominum multitudo eſt exprimenda, nonnullorum vultus tantum atque ora, multorum etiam ſumma capita oſtendit, totum reliquum corpus abſcondit: ita me cui innumerabilia Polonorum Regum æternis digniſſima laudibus facta in anguſtum vnius breuiſſimæ orationis curriculum concludenda ſunt, multa, quæ ſi explicari potuiſſent, ac ſpectanda proponi, incredibilem admirationem excitarent, deliberare modo, & attingere, multa etiam ſignificare potius, quàm oſtendere neceſſe fuit. Illud tamen omni animi, ac pectoris contentione, vobis, Senatores ampliſſimi repetam: Veram, ac ſolidam Regnorum ſalutem Catholicam ſemper extitiſſe religionem. Qua propter ad hoc tantum mentis aciem omnes intendere debetis, vt Rex verè Catholicus eligatur. Hoc vnicum, quod ſummum eſt, Summus PONtifex hortatur, rogat, ſperat, & eo magis ſperat, quod morbi dum latent, non ita ad remedia, & antidota incitant laborantes: cum vero manifeſtius ſe produnt, vir eſt tam inſanus quiſpiam qui non ſanitati, & valetudini conſulendum putet? Erat, viri Principes, ineunte hoc ſeculo varijs morbis conflictata Chriſtiana, atque adeo iſta quoque Reſp. quos ſecuta vehementior febris, varij, & lætales æſtus, atque interitus peperit; hinc factiones; hinc bella, & quid lugubre, aut exitiale non extitit? In domeſtica viſcera arman lares, ipſi filij in parentes, Chriſtiani in ipſa Chriſti Domini ſacra, & templa, vidiſtis quam crudeles

tragœdias

tragœdias exciterint. Nā neque pepercit Ciuis Ciui, non Tartarus excurſionibus, non Scytha deuaſtando regno, non error quiſquam depaſcendis animis, non denique mors ipſa vorando ſæpe in bellis meliores nobilitatis flores. Quæ illa ſi initio ſtetiſſent qui ſolebant religione, ſtetiſſet metus in hoſtibus, pietas in remp. concordia in vobis omnibus, qua ad propagationē & regni veſtri, & totius imperij Chriſtiani ſtringendi fuiſſet enſes, & via ad perpetuas æternitates complananda. Vnde re ipſa cautiores effecti Illuſtriſſimi Principes, quid eſt, quod ſummum, quod iucundiſſimum Chriſtiano orbi, quod gratisſimum Deo futurum ſit, quod à vobis hoc tempore non ſit expectandum? Et vidiſtis delecto per vos Stephano Rege Catholico & ſummarum virtutum viro bellicam illam laudem, quæ cum propria veſtra ſit, videbatur tamen neſcio quo lapſu iacuiſſe, poſt erexiſſe ſe ſe illatam longe vexilla veſtra Liuoniam, & alia vobis reſtituta Catholicam fidem propagatam, fluctuſq. illos, quibus Eccleſia iactatur, non mergitur, eſſe diſſipatos. Vidiſtis inquam, & experti fuiſtis, ac ſentitis nunc etiam, me tacente, veriſſima iſta eſſe. Quid igitur mirum ſi maior ad magnam acceſsio facienda ſit; magnoque (in primis ob fidem et virtutem) Rege delecto, nihil aliud quæratis, niſi, vt quibus legibus vincta, & initio illigata reſp. fuit veſtra, eiſdem religetur arctius, atque omnibus diſſenſionibus hoc fidei, & amoris erga rempub. gladio amputatis faciem eandem reip. integram ſine ruga, ſine labe, ſine macula reſtituatis, Neque vlla res mihi credite maiores veſtris hoſtibus aut timidiores ſpiritus faciet, quam ſi intelligent grauisſimo, atque implacabili odio inter vos ipſos disſidere. Ita qui concordes, coniuncti & conſpirantes illis ſemper terrori fuiſtis, diſcordes, diſtracti, ac diſſentientes ludibrio eritis, atque deſpectui. Proh Deum immortalem nunquam ne ijs tot, tam grauibus, tam inteſtinis malis remedium aliquod reperietis? Agite Senatores amplisſimi, ne patiamini ſummum Pontificem, ac Chriſtianos Reges omnes magna illa ſpe, atque expectatione deſtitui, quā de veſtro iudicio, de ſingulari prudentia, de virtute, de animi veſtri magnitudine iamdiu conceptam habent. Neque eſt quod Barbarorum futiles oſtentationes, Turcarumue minæ, aut falſo propoſita pericula ab optima vos mente dimoueant. Præſto enim accurret cunctorum fidelium amātiſſimus parēs ſumus Pontifex, qui non modo opes ſuas, potentiam, authoritatem alacri animo pro vobis omnibus inpendet, ſed totius etiam Chriſtiani orbis auxilia, fortunas, copias pro huius nobiliſſimi regni finibus tuendis vndiq; ſuppeditabit. Itaque præſtantisſimi heroes per illam pietatem, quæ veſtras libertates, veſtra iura, liberos veſtros, patriam, fortunas, ac dignitatem complectimini

mini

mini, per illam curã quam Chriſtiano nomini & debetis & non obſcuras indiijs ſemper præſtitiſtis, per ſupernum illum Iudicem, qui eſt ſcrutator cordium, & reddet vnicuique iuxta opera ſua, ſuccurrite publicæ calamitati, & omnes cogitationes, omnia conſilia, omnes neruos conferte in remp. veſtram, vnde ſuauisſimam hanc lucem hauritis, ſubſidium veſtrum implorantẽ. Macte virtute, optimi Proceres, huc quãtum valetis animis, pectoribuſque incumbite. Deus ipſe pacis aderit conſentientibus. Deus, inquam, exercituum fortibus, Deus conſiliarius deliberantibus fidele conſilium, Deus adiutor fortis laborantibus certum potentisſimæ dexteræ ſuæ non negabit ſubſidium. Deus denique Rex regum, & Dominus dominantium volentibus ab illius dextera Regem catholicum, prudentem, magnanimũ, omnibuſque regijs virtutibus præditum concedet, quem vobis præſtantisſimi Principes ipſe, ad ſuæ diuinæ Maieſtatis gloriam, & huius florentiſſimi regni perpetuam felicitatem, pro ſua infinita miſericordia largiatur.

FINIS.

Imprimatur Flaminius Torcella Vic. Gen. Neap.

Io. Franciſcus Lombardus vidit.

A01
1528752